

tempestatum, modò sacris Cabirorum ini-
 tiarentur. Iterat Syntagm. 5. n.39. Sacro-
 rum institutor fuit Methapus in Bœotia, qui
 Cabirorum imaginem dedicavit, & cum
 inscriptione (quam legelis apud Pausan.
 cap.111.) Ex quo intelligitur imagines fuit-
 se portatiles: quandoquidem idem, cap. 4.
 Pergami (infit) incolunt terram: eam Cabi-
 ris sacram fuisse perhibent, qui cum templo in
 Asiam trajecerunt. Non mirum: ubique re-
 ligionem propagare conabantur: ita enim
 apud Anthedonios, sicut Thebis (refert idem
 cap. 298.) Medio maxime urbis loco Cabiro-
 rum templum: & ab eo proxime abest sacer
 Cereri lucus, cum Proserpine ade: signum
 Deo è candido lapide. Thracæ primi initia-
 ti sacris Cabirorum, uti observat Herodo-
 tus, 2. n.16. Et etiam Ægyptij (à quorum
 superstitionibus contaminatus est orbis uti
 afruit Kircher. in Panth. Hebræor.) ritus sus-
 ceperunt. Cambyses in templum etiam Cabiro-
 rum (infit Herodot. 3. n.13.) inaccessum al-
 teri, quam sacerdoti, ingressus est: & qua
 illic erant simulacra, multis in ea jocatus ver-
 bis, concremavit: sunt enim & hæc illis Vul-
 cani pygmaei similia: & à quo se ibi Cabiri
 ajunt esse oriundos. Statua Vulcani simillima est
 Dijs, quos Pataicos vocant Phœnices, quos in
 rivemum proris circumferunt: quos qui non
 vidit, ego sic indicabo: esse scilicet illos pyg-
 mai, viri imaginæ. Idem Rhodigin. d. Gy-
 rald. d. n. 28. Idem astruit Petr. Alexan-
 drin. in Chronic. pag. 339. inquit: Cam-
 byses Ægyptum occupat, & Amenophim, qui
 Memnon lapis vocalis esse credebatur, disse-
 cuit: quod putaret præstigias esse meras.
 Videbimus 25. Decembris, n. 19. & ali-
 qua prælibavimus hujus mensis die 3. à n. 2.
 Sacra Cabirorum execranda. Clemens Ale-
 xandr. Protept. cap. 3. hic Gentian. & Fir-
 mic. de Error. profan. religion. 2. cap. 7. me-
 minitque Kircher. Obelisc. Pamphil. ex-
 ponens qui signaret Mercurij Caduceus;
 lib. 3. cap. 11. Inde emanavit apud Mahu-
 metanos Dea Cabar, id est Venus. cum enim
 antiquius falsâ superstitione seducti, Venerem
 Græcorum, id est, voluptatem divinis honori-
 bus coluerint, stellam ejus esse fabulati sunt;
 quam Cabar sua ineptâ linguâ appellaverunt.
 Idem ex Cedreno, Tom. 1. Oedip. syn-
 tagm. 4. cap. 16.
 18 In Sicilia, ubi filia Cereris rapta à
 Plutone industriâ Mercurij, sacra quæ Pro-
 serpinalia dicebantur. Unde Syracusis infig-
 ne templum, quò sacra, in quorum die
 Dio, qui Dionysium ab urbe propter ty-
 rannidem expulerat, interfectus à Calippo
 amico, perfidè. De fide in præclarè meri-

tum, jusjurandum dare justus, perduellis
 dedit. Id tale erat (ait Plutarch. in Dione) ut
 qui fidem sanciret, is in templum Cereis & Pro-
 serpine descenderet, sacrisque peractis, purpura
 Dea se indueret, facemque tenens ardentem, ju-
 raret. Hoc sacramento Calippus dato, adeo ritus
 sui Deos habuit, ut die Deabus, per quas fise-
 rat juratus festo, ipsis Proserpinalibus, eadem
 perpetraverit. Composuis insidijs, magnum &
 horribile visum Diom offertur. Cum enim incli-
 nante jam die, solus forte in atrio domus se-
 deret cogitabundus, subito strepitu excitatus, in
 alteram porticus partem respexit, magnamque
 comitibus mulierem, qua habitu vulgare nihil
 à tragica Furia distans, domum scopis ver-
 reret.
 19 Apud Macedones, 8. Geritij, Xan-
 tica, id est, lustratio exercitus. Gyrard. Syn-
 tagm. 17. Modus signatur à Curtio, 10. Hi-
 stor. Alexandr. cap. 9. Ita (ait) lustrari soliti
 erant milites, ut discisse canis viscera ultimo in
 campo, in quem deduceretur exercitus, ab utra-
 que abijcerentur parte: Iura id spatium armati
 omnes starent, hinc equites, illinc phalanx. At
 verius Freinshem. hic ait: Restituo ad diem
 VIII. Xantici. Ibi agemus etiam ex illo &
 Livij descriptione. Hac die inter Ægyptios
 erecta statua Busiridi Regi, eo quod etii in
 regno tyrannus, eos immolasset, qui con-
 siliunt dederat de immolando peregrino.
 Trasillus, cum ad exorandas à Jove pluvias,
 Busirim docuisset hospites immolare: interfectus
 est omnium primus. Ravif. Text. 4. Officin.
 cap. 103. Bulenger. Advers. Magos, lib. 3. cap. 3.
 Novem annis Ægyptus agrorum sterilitate la-
 boraverat. Inter Thrasius, vaticinandi peritus,
 è Cypro venit, cui hanc amona caritatem de-
 stinam esse pronuntiavit: si virum hospitem quo-
 tannis Jovi mactaverint. Tunc Busiris vate illo
 prius immolato, advenientem deinceps immolabat.
 Apollodor. 2. Biblioth. n. 22. Videndum de-
 nuo 19. Decembr. n. 6. Sint ergo, si fuerunt
 hæc. Verum unde scivit compiler Dierij
 Ægyptij, quòd facta, & facta hac die? Ipte
 vident. Duos fuisse Bulirides, asserit Diodor.
 Sicul. 1. n. 29. Primus, Otinidis Præfectus
 classis, n. 10. Secundus Heliopolim incendit,
 n. 29. fabulamque vocat inactionem hos-
 pitum; n. 55. sicut quod ab Hercule fuerit
 immolatione interfectus, lib. 4. n. 10. Quid
 dicet Compiler? Ficta juvant. De Bulire
 civitate quam ædificavit, in qua Isis infig-
 ne templum, videtis Diodor. d. &

10. Jun. num. 1.
**

DIES IX. JANUAR.

V. Id. **I** Grad. 19. Solis in Capricorno.
 Hic gradus influit in rabulas,
 & forentes thraones, litigantes decipien-
 tes. Jul. Firmic. & Junctin. Caput sequentis
 Geminorum manè occidit. Junctin. K. A. Cauda
 Scorpij & humerus Aquarij manè oriuntur.
 Alited. Uranom. Auster flat cum pluvia. Co-
 lumel. & Ptolom. Delphin oritur. K. V.
 & Ovid. v. 457.
 Interea Delphin clarum super æquora sidus
 Tollitur, & patrijs exeret ora vadis.
 Vir quatuor pedes habens, stans. Sphær.
 Arab. Natus quiescet, quàm operandum est.
 Kircher.
 2 Ab Adrichomio hodie exponitur emis-
 sio Corvi ex Arca Noë, anno 1656. Fallit-
 tur. Genes. 8. 6. dicitur, quòd tranfactis qua-
 draginta diebus, postquam apparuerunt ca-
 cumina montium, emissum fuisse corvum.
 Apparuerunt 1. Decembris, qui apud He-
 bræos Lunaris, constans 30. diebus: quibus
 additis 10. mensis seq. in complementum
 dier. 40. non hodie, sed die 11. constat cor-
 vus emissus. Ad summum, esto Decembris
 sit mensis cavus, ut assignat Leonard. Mar-
 eit die 10. & nequaquam 9. De corvo di-
 citur v. 7. Egrediebatur & non revertebatur.
 Hebr. Egrediebatur & revertebatur: quam le-
 ctionem sequens Joseph. 1. Antiq. cap. 4. sub-
 dit: Ille comperio, totum adhuc stagnare, ad
 Noe est reversus. Facile conciliantur testimo-
 nia: egressus ergo corvus revertebatur in
 Arcam forinsecus: non revertebatur in-
 trorsum, ubi fuerat, & erant cætera ani-
 malia cum Noë. Errat ibid. Joseph. quem
 sequitur loc. cit. Adrichomius, asseruens emis-
 sio corvo, post septem dies Noëmum mi-
 sisse columbam: igitur eodem die post cor-
 vum emississe columbam: constat ex Genes.
 8. 8. Emisit columbam post eum. Vid. d. 11.
 3 Post mortem Abefan, suscepit prin-
 cipatum Abialon ex Zabulonica tribu, hac-
 que die electum in Judicem Israël signat R.
 Abrah. Zacuth. in Juchasin. Nonnulli He-
 braorum vocant Hillel, ut observat Serar.
 in 12. Judicium, quæ. 7. Non illum Hillel,
 inter quem & Samai divisa est Hebræorum
 schola; de quo 9. Februar. n. 16. sed multo
 seniore. De hoc dicit Genebr. Chronolog.
 Ann. 2988. Sub hoc terra quietem habuit, ed
 quòd populus non declinaret à Domino. At quo
 fulcro? statim addit: Ejus enim quinto,
 defijt octodecim annis Ammonitarum tyranni-
 dis in Judeos trans Jordanem incolas. Belli
 Tom. 1. Ephem.

ramen quo illa excussa sit, non recordatur Scrip-
 tura. Probabile est, hujus virtute contigisse. Hocce-
 ne bellum in diebus successoris filij ejus,
 vel servi, Abdon; signat Philo Biblius in
 Antiq. equumque videtur; quoniam Joseph.
 5. Antiq. cap. 9. ait: Nec ipse quicquam gesit
 memoratu dignum. Immo addit ibid. Philo
 pro sententia Genebrardi, non solum Am-
 monitas represisse, sed in diebus illis expugna-
 verunt Hebræi Allophilos, & acceperunt ab eis duo-
 decim civitates.
 4 Tribus annis ante obitum, postquam
 idolis Gentium, illecebris uxorum, erexe-
 rat Salomon Fanum; ut rediret ad cor, ap-
 paruit ei Dominus; exponens carpentique
 ejus apostasiam, addens minas ut frugi re-
 diret: quod quidem iteravit, sed ille à pro-
 posito non destitit. Cumque domesticum habe-
 ret exemplum (ait Joseph. 8. Antiq. cap. 2.)
 & pulcherrimum parentis virtutem, & gloriam;
 discedens ab ejus imitatione, idque bis in som-
 nis monitus sequi paterna vestigia; mortem in-
 gloriosus oppetiit. Venundatus erat sub pecca-
 to, & ne periret, qui pius Dominus ac-
 multæ misericordiæ & verax, tertio appa-
 ruit ei in somnijs, ut placet Sanctio hic
 n. 21. justè commotus in tot gratijs cumu-
 latè dignatum. Iratus Dominus Salomoni, quòd
 aversa esset mens ejus à Domino Deo Israël, qui
 apparuerat ei secundò: dixit itaque Dominus, Quia
 hilu si hoc apud te, & non custodisti pacium
 meum; dirumpens scind. m. regnum tuum, &
 dabo illud servo tuo. 3. Reg. 11. à 9. Jo-
 seph. ubi dudum, asserit per Prophetam
 factam monitionem, & vibratum in con-
 tumaciam minarum fulmen. Surrexerunt
 in eum Reges Damasci & Idumæ, qui
 vivo adhuc Salomone irruptionibus crebris,
 cunctam terram Israël replebant cedibus
 & rapinis. Servus etiam, ni Salomon resi-
 pisceret, in quem Dominus regnum Israël
 translatum iri, promissit; subdole ac astute
 revelavit, commovendo populum, ut per-
 peram audiret Salomon, uti dicemus die 13.
 à n. 3. Quomodo autem 3. Reg. 4. 25. di-
 catur pax habita in Israël omnibus, seu cun-
 ctis diebus Salomonis respectivè intelligendum:
 quandiù, scilicet, perseveravit in veri Nu-
 minis cultu.
 5 Hac in die juxta calculum Genebrar-
 di, Ann. 2569. occiditur Godolias à doloso
 Ismaële Nathaniæ, quoniam Mensis Septi-
 mus signatus in texto sacro, ab illo accipi-
 tur non pro mense, sed pro distantia à capti-
 vitate Sedecia. Fallitur, ut videbimus, 3. Se-
 ptembr. n. 4. Post 541. annos, juxta Briet.
 Alexandra, seu Salome; uxor quæ fuerat
 Aristobuli I. & fratris ejus Alexandri Jannæi
 moritur.
 H 2 (cu-

Imagines Cabirice mi-
nuitule.

Dij Patai-
ci.

Ameno-
phis.

Dea Cabar.

Proserpi-
nalia.

Templum
& ritus.

Mors Dio-
ni & por-
tium.

Xantica.

Lustratio
exercitus.

Statua Bu-
siridi.

Heliopolim
combussit.

Salomon
ter moni-
tus à Deo
in peccati-
entiam.

Indicatur
illi regna-
diviso.

Antilogia.

Mors Go-
dolias.

Alexandra
moritur.

(cujus astu & Pharisæorum directione, egregie moderata regnum) hac in die communi civitum dolore sepulta. Reuclin. ex Joseph. 1. de Bell. cap. 4. & Antiq. 13. cap. 24. Egesipp. 1. de Excid. cap. 13. & Genebr. Ann. 4020.

6 Illam ergo jure fleverunt, quoniam superstitibus duo filij hostilibus moribus dissidebant, immo & tectis; quippe Hyrcanus Pharisæus, & Sadduceus Aristobulus; unde civilia bella, & regni exitium, quod cepit sub Pompejo; quousque per varias clades, regnum occupatum à Romanis ad Herodem alienigenam tandem devolutum est. Josipp. immò Strabo, lib. 16. n. 75. at Genebrard. d. Aristobulus jam pridem arguerat matrem de licentia Pharisæorum in æmulus debacchantes, quo ducta, illusa est, manu valida illi tradita adversus Damascum, militibus usus est Aristobulus in meditata tibi regni propolita: illiusque conatibus favit morbus matris, quo congregatis juvenibus, castellisque prius obtentis, thesauros occupavit, voluntarioque invitavit ad militiam, ac infulas Regis induit. Alexandra ut scivit, lachrymante ad illam Hyrcano, Aristobuli uxorem & liberos ejus recluit in castrum: postque satis afflicta curis & morbo, relicto primogenituræ jure in Sacerdotium & principatum Hyrcano ex testamento; è vita decessit. Egesipp. d. à cap. 13. Petr. Comest. in 2. Machab. cap. 7. Adrichom. Ann. 3895. Salian. Briet. 3988. Tornicell. 3987. n. 1. Petav. 1. p. Rationar. tempor. lib. 4. cap. 17. & Joseph. 1. de Bell. d. qui 13. Antiquit. cit. in fine addit: Mulier supra sexum suum egregia, usque mirum in modum bonorum & imperandi cupida, operibus declaravit suam industriam, quasi exprobrans viris infirmitatem, qui parum feliciter administrant Respublicas. Semper omnia posthabendo moderata gubernationi; nec ab honestate, neque a justitia deduci voluit.

7 Anno quinto ante Alexandræ obitum, eodem die quo fato post functa, nono Sebeth, ut ait Reuclin. natus est in opprobrium & flagellum Judæorum Herodes Antipater ex patre Antipatro in Idumæa, illius regionis Procuratore, haud tenuis pecunie, & ideo prævalide potentie apud suos, & clarus, studio expendens pecuniam, ut sibi posset conciliare gratiam. Ita Egesipp. d. cap. 14. & Joseph. cit. cap. 2. lib. 14. Antiq. Hebr. in Seder-Ollam Zuta, Decur. 6. dicunt: Filius Antipatri Machabeorum servus. Tornicell. Ann. 3982. n. 1. signat annum, sed non diem. Herodiani celebrabant hujus improbi natale eisdem demonstrationibus,

queis Sabbata. Herodiani observant, quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt. Just. Lips. 1. Elect. cap. 3. (Eum enim habuerunt Melsiam à Deo, Prophetisque promissum; de quo, 29. Februar. à n. 7.) Persius Satyr. 5. à v. 180. indicat, succinens:

Quid pulchrius? At cum Herodis venere dies, unctaque fenestra Disposita pinguem nebulam vomere lucerne, Portantes violas, rubrumque amplexa catinum,

Cauda natat Thygni; tumet alba fidelia vino. In honorem hujus, exhibebant quod ceteri Judæi pro solemnitate Sabbati: nimirum, pridè, Enneamixon: hoc est, lucernam novem lychnorum in fenestra. Vide hic Eilhard. Lubinum, & Casaubon.

8 Hac die à Lamy dicitur, Jesum reliquisse Nazareth, ac decrevisse habitare Capernaum, ut inde prædicaret in Galilæe Synagogis. Ex primo errore, multiplices, equidem erat jejuniis in monte, & hic dies jejuniis fuit tertius.

9 Romæ Senatus legitimus. Boxhorn. & Schild. in Sueron. August. cap. 35. Ab Octaviano institutum, ne plus quàm bis in mensè haberetur Senatus, tuncque dicebatur Legitimus: aliàs, si extra hunc ordinem, Senatus dicebatur Indictus. Bis in alijs mensibus, in Septembri & Octobri, semel propter vindemiam. Sueton. d. Sibi elegerat Augustus consilia semestria, & quæ in illis decreverat, indicabat Patribus in Senatu legitimo. Idem ibid. Indicebatur frequenter, modò portenta apparerent, tuncque nefas haberi sub tecto. Est frequens in prodigijs Prætorum, bovem locutum: quo nunciato, Senatum sub dio haberi solitum. Plin. 8. cap. 45. quò Dalecamp. subdit: Non in Rostris, aut Curia, sed aprico loco patentique cælo, tamen inaugurato, ne senatusconsulta irrita forent. Nundinæ tunc legitimæ fiebant, ne quid infaustum contingeret ex illarum mutatione. Nundinæ quæ quovis nono die celebrantur, ipsis Kalendis Januarij actæ sunt. Cùm hoc prodigij speciem haberet, Romani territi sunt: tum quòd bubo visus erat, totoque triduo simulacrum sudaverat, faxque à Meridie ad Ortum transurrerat, fulmina multa deciderant, sapius glebis lapidibusque & testis pluerat. Dio, lib. 40. & Bulenger. de Prodigijs, cap. 53. Erat ergo Regis sacrorum munus V. Idus Januarias Jano arietem immolare. Alexandr. Neapol. 3. 17. ex Ovidio, 1. Fastor. v. 333.

Ita Rex placare sacrorum Numina Lanigera conjuge debet ovis.

Vi-

Aristobulus regnum ostendit.

Ejus uxorem cum filijs Alexandræ detrudit in artem.

Alexandræ gesta.

Oritur Herodes Magnus.

Persius.

Christi gesta.

Ejus dies tertius jejuniis.

Senatus legitimus.

Ex portentis Senatus sub dio.

Nundinæ infauste, si mutantur.

Ovid.

Videbis 24. Mart. num. 10.

10 Hoc etiam die celebrabantur Agonalia Jano vel Cereri. K. R. Rosin. 4. cap. 5. Alex. Neapol. 6. cap. 8. Macrobr. 1. Saturnal. cap. 4. Gyrard. Syntagm. 17. Varro, 5. de Lingua Latin. & Smet. in Fastis. In his factis Sacrorum Rex immolabat arietem: cui Virgines Vestales dicebant, ne olcitanter sancta tractaret: Vigilasne? Vigila. Servius in illud Virgil. 10. v. 228. Vigilasne Deum gens Anea? Vigila. Idem La-Zerd. hic. Præter hanc, quinque nominis causas affert Ovid. 1. Fastor. à v. 320. AA. digladiantur in argumento. Neapol. d. Politian. Miscellan. cap. 6. Vives, 7. de Civ. cap. 20. Stuck. de Sacrif. Gentil. cap. 120. Rhodig. 18. cap. 3. & præ cunctis Læ. Bifolion. 1. Horar. subsecvov. lib. 2. cap. 2. A

Græcis dicebantur Agones (unde Ludi Agonales) instituti ab Hercule in honorem Dei Agonij. Rav. Text. 1. Officin. cap. 21. Placet nimis quod ait Marlian. cap. 106. & in Epitom. 6. cap. 7. Visuntur hodie vestigia spatiosissimi Circi; Agonem vocant, quod in eo IX. Januarij Agonalia, Jano sacra celebrantur, à Numâ instituta. Ego verò crediderim, ibi non solum Agonalia, verum varios ludos, variæque edita spectacula; & communi nomine Agonem denominatum: quo quidem nomine cuiuslibet generis spectacula appellant Græci. Aliquando Agonia dicta à Romanis Bacchanalia (ab exteris Dionysia, seu Nyctroalia; de quibus suo loc.) quæ ab illis celebrari solita occultè nefarijs sacris. Smet. d. Hæc turpia à Græcia accepit Romana pudicitia. Græcus ignobilis in Hærruriam primum venit, sacrificulus & vates: nec is aperta religione, propaliam (quæsum & disciplinam profrendo) animos errore imbut, sed occultorum antistes sacrorum. Invia erant, quæ primò paucis tradita sunt: deinde vulgari cæpta per viros mulieresque: addita voluptates religionis vini & epularum, quæ plurimum animi illicerentur; cum vinum animos & nox, & misti feminis mares, ætate tenera majoribus, discrimen omne pudoris extinxissent, quum corruptela omnis generis fieri cæptæ, &c. Hæc Livius, lib. 39. sect. 16. reliqua videbimus, 1. Septembr. n. 8.

11 Hic senatus, sed à mulieribus in monte Quirinali celebratis Agonij. Agonalia (ait Marlian. cap. 97. & in Epitom. 5. cap. 24.) in Quirinali celebrata fuisse, memoriae proditum est. Senatum item mulierum in Quirinali fuit, ubi prius quotannis solemnibus diebus matronarum convenius fiebant. Indicat nobilis Antiquarius Coel. Rhodig. 13. cap. 33. eundem locum signans, in

Senatum femininarum.

Ovid.

fœminarum senatulum, quò conveniebant ad conciliandam pacem; quia cautum, ne unquam mulier senatum ingrederetur, ita ut inferis ejus caput dicaretur, devovereturque, per quem esset factum. Hac die incipiebant Ludi Compitalitij per triduum, propter sacra Compitalia, quæ augustis celebrabantur 2. Martij, uti videbimus, etli à K. Rom. & Rosin. signentur die 12. quò Ludos Compitalitios descubemus, à n. 3.

12 Inter Atticos nono mensis catusvis Lunæ Magnæ Matri sacra. Nicander in Alexipharm. ubi accinit:

Uique Rheæ Mavis olim divina sacerdos, Ipsa vis Lunæ jam novâ luce propinquat, Clamoremque altum tollit; per devia cuncti Diffugium, postquam ceperunt auribus ipsos Ideæ Mavis horrendos foris ululatus.

Fiebant cultus magna vociferatione; quavis alij (inquit Natal. Com. 9. Mytholog. cap. 5.) censuerunt, quòd demones essent, qui favorem immitterent. Fiebant autem hujus Deæ sacrificia die nono Lunæ. Videndum 9. Jun.

At inter Athenienses hac die Vestis Minervæ asservabatur in arce Cecropis, quò primò ejus filia Pandrosion recluit. Meursi. Lect. Attic. 3. cap. 22. Hæc post habitâ Deæ. Cum Minerva templo Pandrosi edes (ait Pausan. cap. 25.) conjuncta est, quæ sola ex sororibus fidem in deposito servavit. Fabulam refert Ovid. 2. Metam. fab. 7. Templum cum ede, Minervæ titulo, à fundatis Athenis illustre, antequàm expugnarentur à Lyfandro, conflagravit, quod certum proximæ cladis argumentum fuit: eamque defecturam suis, quæ templum suum neglexisset. Briet. Ann. V. C. 348.

13 Inter Thebanos Menœcia sacra: sic dicta, quia Creontis filius Menœceus seipsum devovit, præceps è muro ductus Oraculo Delphico, eo tempore quo septem Duces Thebas expugnatum venerè. Apollodor. 3. Biblioth. n. 11. asserit, quòd cùm audierit civitatem sospitem fore, modò Marti se voveret Menœceus; seipsum ante portas mactasse: hocque oraculum non fuisse Delphici Apollinis, sed Tirefiæ: cujus verbis motus (dixerat enim Vates, urbem fore salvam, modò ultimus è Cadmi posteris, qui Thebas extruxit, spontaneâ è morte Manibus devoveret) cùm novissimus Menœceus ex inclyta familia esset, de se intelligens vaticinium; suo sibi gladio mortem conscivit: pectoreque valido vulnere transfosso,

Sanguine tunc spargit turres, & mania lustrat: Sequè super medias acies, nondum ense remisso

Ludi Compitalitij.

Sacra Lunæ Magnæ Matri.

Nicander.

Vestis Minervæ.

Pandrosion.

Portentum ante captas Athenas à Lyfandro.

Menœcia.

Menœci mors.

Scat.

Je-

Jecit, & in seivos cadere est conatus Achivo.
Accinit Statius, 10. Thebaid. à v. 767. & hic
Lucretius, sive Coel. Placiades. Graphicè
refert articulum Pausan. cap. 300. Ad Nei-
rim portam (inquit) est Menœci Creontis fi-
lij monumentum, qui seipsum ultro occidit ex
Oraculo Delphici Apollinis, quo tempore Poly-
nices cum Argivorum exercitu Thebas oppugna-
tum vent. Ad ejus tumulum malus Punica ena-
ta est; cujus poma, cum maturerint, res-
po exteriore cortice, sanguini nescio quid simi-
le ostendunt. Hæc quidem arbor ad perpetuita-
tem repullavit. Non longe à Menœci sepulchro,
Oedipi filios, ajunt, singulari certamine pug-
nantes mutuis vulneribus concidisse. Pugna ejus
documentum pila erecta cum lapideo scuto. Of-
tenditur etiam locus, in quo Junonem Herculi
infanti mammam præbuisse quodam Jovis dolo,
tradunt. Eadem Rhodigin. 21. cap. 21. &
Castellan. in Eortelog. Viderint, qui Viam-
lacteam asserunt efformatam in cœlo lac-
tente Junonis, vel ructu lactentis Alcidis.
Agemus, Isagog. Jun. à n.2—die 16. à n.4. &
30. Decembr. num. 1.

Monimen-
tum, &
malus Pu-
nica.

Funo la-
ctans Her-
culem.

Statua Pin-
daro.

Ejus apes.

Honores.

Mors.

14 Etiam inter Thebanos plausibili-
lis fuit dies propter statuam Pindaro, Ly-
ricorum principi, erectam. Muret. 4. Va-
riar. cap. 1. Juxta Hippodromum est Pindari
monumentum (præmittit Pausan. cap. 299.)
Cum esset adhuc adolescentulus, Thespias pro-
fiscientem, per astatem calore fessum somnus
arctior complexus est. Advolarunt apes, quò
paululum de via diverterat, & ad ejus labia
mel adleverunt. Hoc fuit carmina pangendi Pin-
daro initium. Cum verò jam latè per totam Græ-
ciam magna esset fame celebritate; ad sum-
mum gloria fastigium evexit. Pythia vox, qua
Delphi jussi sunt, aquam, qua Apollini de-
feruntur, omnium primitiarum partem Pinda-
ro tribuere. Exactà jam etate in somnis vide-
re visus est assistere Persephonem, & queri,
anam se ex omnibus Dijs non fuisse ipsius car-
minibus ornatam. Paulo certè post, atque adeo
ante decimum ab eo sermone diem, vitæ mune-
ribus est perfunctus. Quod magis ludicrum,
eum post mortem Persephonæ hymnum
pratermissum cecinisse. Ibid. Philostrat. de
Imagin. Rhodigin. 15. cap. 11. Plutarch. de
Consolat. ad Apollon. fusèque Gyraldus, Hi-
stor. Poetar. Dialog. 9. qui mortuum as-
ferit in gymnasio aspectu pueri venusti,
radijs cuius, ex illius facie produntibus, at-
que emicantibus, mirabiliter affici, ajebat. Haud
fano sensu accipiendus Valer. Maxim. 9.
cap. 12. n. 7. ut ait Suid. De morte præ-
monitum ex Oraculo Delphico, asserit
Plutarch. d. in quo templo servabatur Pin-

dari sella, ferro fabricata, qua quoties Del-
phos venisset, in honorem Apollinis hym-
nos decantabat. Pausan. cap. 341. Vel post
mortem à Principibus honoratus est: Argi-
vi ejus pepercerunt penatibus, cum ab illis
Thebæ captæ (de quo Apollodor. lib. 3. Bi-
blioth. n. 11, sicut post Alexander fecit, ut di-
ximus die 2. num. 15. Inimitabilis fuit. Unde
Horat. 4. Od. 2. à v. 1. succinit:

Pindarum quisquis studet emulari,
Nittitur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Ejus sella
in templo
Delphico.

Horat.

Fana Isi-
dis.

15 Corinthi fana duo dedicata Isidi,
alterum Pelagiæ, alterum Ægyptiæ. K. Græc.
Eisdem verbis inveni apud Paulianiam, cap.
48. qui addit: Sunt deinceps Solis aræ, Ne-
cessitatis & Violentiæ ades, in quam ingredi
fas esse negant. Gyrald. Syntagm. 1. n. 85.
Alex. Neapol. lib. 1. cap. 14. & Rhodig. 22.
cap. 2. Picta necessitas figura Tantali. Ar-
bitror, Ethnicos Necessitatem vocare Mor-
tem (cui fanum dicatum, uti dicemus, 26.
Mart. n. 26.) & illorum phrasi, Fatum. Hinc
Plato, 10. de Republ. Parcas facit filias Ne-
cessitatis, quæ aequalibus intervallis in thro-
no sedent, vestibus albis amictæ, capite co-
ronato, ad Sirenum harmoniam canentes:
omnes fusum quemdam adamantinum, qui
ambos polos attingit, perque matris Necessi-
tatis genua transit, tractantes, Clotho dex-
trâ, sinistra Atropos, ambabus manibus
Lachesis. Eadem Chartar. pag. 203. Alatas
finxerunt, & coronatas narcisis; ut Catul-
lus in Nuptijs Pelei & Theid. à v. 307. flo-
ridè depingit:

His corpus tremulum complectens undique
vestis

Candida, purpurea talos incinxerat ora,
Et rosco nivea residebant vertice vitæ
Æternumque manus carpebant ritè laborem.

Leva colum molle lanâ retinebat amictam:
Dextra tunc leviter deducens fila, supinis
Formabat digitis; tum prona in pollice
torquens

Libratum tereti versabat turbine fusum.

Singularis profectò imago Parcarum apud
Homerum Hymn. in Mercurium. Illas ergo
effingit sorores, virgines, pennatas, quarum
capita farinâ conspersa. Vide Macrobr. 5.
Saturn. cap. 16. Fortunæ comitem Necessi-
tatem pingit Horatius, 1. Od. 35. à v. 17.
cunctis instrumentis cinctam, quibus for-
tunam premit, & ad libitum cogit.

Te semper anteit sava Necessitas,
Clavos irabeales, & cuneos manu
Gestans acnâ, nec severus
Uncus abest.

Horat.

Horat.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Catull.

Ejus sella
in templo
Delphico.

Horat.

Fana Isi-
dis.

Necessita-
tis ades.

Parce ejus
fata.

Imagines.

Catull.

Necessitas
Fortuna. Co-
mes.

Horat.

Hæc.

Hæc insignia Necessitatis; quæ prodroma
Fortunæ atque faustæ fortis; cujus potentia
intolerantiam uti anteaambulatrix reprimit:
quicquid enim Necessitati libuerit, nulla vis,
ars aut potestas impedire valet. Turneb.
Adversar. 9. cap. 14. & Fier. Valer. 48.
cap. 54.

Violentiæ
ades, &
imago.

Calumniæ,
Invidia,
Discordia
Violentiæ
comes.

Imago Cal-
umniæ.

Invidia.

Pœnitentiæ.

Ara Solis.

Pompa Ve-
xoris.

16 Violentia etiam in eade constituta,
ut liberarentur à tyrannidis furore; quia
semper nocet contradictio potentior. Comi-
tes habet Invidiam, Discordiam & Calum-
niam, quæ vestibus simplicem spoliarent
Veritatem, ejusque cultu seducebant homi-
nes, qui in tribus videbant duntaxat Veri-
tatis vestes, ducti specie; sed nequaquam
Veritate. Ad. Tom. 1. T. 6. D. 19. n. 2. Sic-
cine prævalebat Violentia, & crebris inju-
rijs regnabat Erinnys. Theatrum ad vio-
lentiam vividius Apelle exponit Char-
tarius, pag. 311. sedet vir (ait) per-
magnas habens aures: manum ille portendit
accedenti Calumniæ. Circum ipsum verò sunt mu-
lieres due; ignorantiæ scilicet, & Suspicio.
Ex adverso calumniæ, semina ornata & pul-
chra; sed aspectu ardens, & in iram ac ra-
biem concita, lavâ accensam facem prese-
rens, dextrâ adolescentem quempiam per ca-
pillis trahere videbatur, qui manus ambas
ad cœlum tendebat, Superosque obtestabatur.
Præcedebat vir pallidus, impurus, acutè in-
tuens, qui Livor erat: pone due alie mu-
lieres, calumniæ dirigentes, & adornantes:
altera erat Insidia, altera Fraus: à tergo
sequebatur Pœnitentiæ, pullas lacerasque vestes in-
duta; quæ retrò caput inflectens, flets ac lugens,
pudore venientem Veritatem excipere videbatur.
Idem eisdem coloribus promit Lucian.
Dialog. 30.

17 Cum aris Necessitatis & Violentiæ
etiam erat ara Solis. Inter utrasque haud
Clarij, seu lucidi Solis simulacrum, sed oc-
cidentis, ut meminit Pausan. cap. 334. Un-
de ut malum omen propellerent, in Acro-
corintho collocarunt statuas Solis, Amoris
cum arcu & Veneris cataphræ; ut qui in-
ter Necessitatem & Violentiam radijs occi-
duis positus; inter Amorem sagittis valen-
tem & Matrem armatam, uti Clarius, resul-
geret. Idem cap. 48. Inter Assyrios pompa
Vexoris, qui ante Ninum regnavit, & pri-
mus subjugavit Ægyptum. Diar. Græc. Me-
minit Justin. lib. 1. Histor. in princip. illum
priorem Nino constituens; sub cuius po-
testate Ægyptus devenit. Unde tam de illo,
quàm de Tanao, Scythiæ Rege, subdit:
Longinqua non finitima bella gerebant: nec im-
perium sibi, sed populis suis gloriam quere-
bant, contentique victoriâ, imperio abstinebant.

Hic non alius, nisi Nemrod, qui sub no-
mine sobhis signatur tempore Noë, à Kir-
chero, in Chronolog. Reg. Ægypti. etiâ sub no-
mine proprio adscribat in Dinastia Pastor.
tertium Ægypti Regem. Ejus imaginem
portabant, quasi in triumphum usque in
Regum aulam: nescio, an in virtutum
exemplar.

18 In Sicilia sacra Hieroni. Fast. Sicu-
li. Hic fuit fratre Gelone major natu, cui
suscipit in principatu Siciliae, ut dicemus,
18. Mart. n. 26. Duos fuisse Hierones, Si-
ciliæ Reges, astruit Pausan. cap. 186. & 189.
Uterque inignus, victorque in Olympia:
erecta utrique statua; at fratri Gelonis duæ,
immò tres. Hieroni statuas duas Syracusis de-
dicavit Respublica; tertiam ei posterunt ipsius
filij. Hunc Hieronem idem cum superiore nomen
habuisse, & Syracusis idem dominum. Idem,
cap. 195. & hic Frideric. Sylburg. Post pro-
fectionem Pyrrhi à Sicilia, Magistratus
Hiero creatus; cujus tanta moderatio fuit,
ut contentiente omnium civitatum favo-
re, Dux adversus Carthaginenses primum,
mox Rex crearetur. Hujus futuræ ma-
jejjatis infantis educatio quasi prænuntio
fuit. Huic pater Herooclytus, nobilitissimus,
à primo Siciliæ Rege Gelone. Mater verò
fœdidi generis, quippe ancilla, quam-
vis non serva. Fugiens itaque pater pro-
pudium, quasi dehonestamentum gene-
ris; exponi jussit: At parvulum, & humane
opis egenum (inquit Justin. Histor. lib. 23.)
apes congesto circa juvenem melle, multis die-
bus aluere: ob quam rem responso aruspicum
admonitus pater, qui regnum infanti porten-
di caneant, parvulum colligit, omnique stu-
dio ad spem majestatis, qua promittebatur,
instituit. Eidem in ludo inter coæquales discen-
ti, lupus tabulam, in turba puerorum repen-
tè conspectus, eripuit. Adolescenti quoque pri-
ma bella ineunti aquila in clypeo, noctua in
hasta confedit: quod ostentum & consilio cau-
tum, & manu promptum, Regemque futurum
significabat. Denique adversus provocatores sepe
pugnavit, semperque victoriam reportavit. A
Pyrrho Rege multis militaribus donis donatus
est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quo-
que in homine admirabiles fuere: in alloquio
blandus, in negotio justus, in imperio moderat-
us, prorsum ut nihil ei regum deesse, præter
regnum videretur. Idem promit Bulenger. de
Aagruis & auspicijs, cap. 5. In Elide emi-
nebat ejus simulacrum simul cum do-
nario, quod currus dicebatur Hieronis. At
dona ista (inquit Paulanias, cap. 189.)
non sunt ab Hierone missa; sed votum Deo
persolvit Hieronis filius. Sunt autem monumenta
de

Sacra Hie-
roni.

Exponitur
sed ab api-
bus a. i. i. r.

Notes.

Donaria.